

**Dissertatio medica inauguralis, de lepra ... / eruditorum examini subjcit
Ashby Smith.**

Contributors

Smith, Ashby, -1831.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat C. Stewart, 1820.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/unb4scas>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution


This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

LEPRA.

To, Mr. Wheeler,
with the kind regards
of the Author.

DISSERTATIO MEDICA

TRAGACATHA

LEPRA

1794

AVGVSTVS ANTONIVS

D. GEORGIUS BARTH M.D.
DISSERTATIO MEDICA

TRAGACATHA

AVGVSTVS ANTONIVS

ET HIERONYMVS ANTONIVS

LEPRA

AVGVSTVS ANTONIVS

AVGVSTVS ANTONIVS

AVGVSTVS ANTONIVS

1794

AVGVSTVS ANTONIVS

AVGVSTVS ANTONIVS

AVGVSTVS ANTONIVS

AVGVSTVS ANTONIVS

AVGVSTVS ANTONIVS

AVGVSTVS ANTONIVS

AVGVSTVS ANTONIVS

AVGVSTVS ANTONIVS

AVGVSTVS ANTONIVS

AVGVSTVS ANTONIVS

AVGVSTVS ANTONIVS

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

L E P R A ;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ASHBY SMITH,

Anglus,

SOCIETATIS REGIAE MEDICAE EDINENSIS SOCIUS.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,
Academiae Typographus.

MDCCCXX.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

LEPRA;

AVTHORE

JOHANNES WILHELMUS

PHYSICUS

D. GEORGI BALD. SS. T. P.

ACADEMIAE MEDICINAE

PRÆSIDI

PROPOSITA

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET HONORABILISSIMAE FACULTATIS MEDICÆ DECRETO

PHOTOGRAPHIA

EXAMINATA ET MEDICIS ADOCTORIBUS AD PRÆSENTIAM

RECTORIS ACADEMIE PRÆSENTATA

EXAMINATA ET MEDICIS ADOCTORIBUS

ASHTON SMITH

PHYSICUS

ACADEMIAE MEDICINAE

Kalends Augusti, hora locoque solita

EDITIONE

RECTORATU C. STEWART

STATIONE TYPOGRAPHICA

ALBANY

AMICO ORNATISSIMO

JOHANNI MEYER, M.D.

LITERARUM HUMANIORUM ATQUE SCIENTIAE MEDICAE

CULTORI INDEFESSO,

HOC OPUSCULUM

OBSERVANTIAE GRATIQUE ANIMI

MONUMENTUM TENUE

OFFERT

ASHBY SMITH.

ALABAMA

JOHANN MEYER, M.D.

LITHIUM HUMORUM ADIUTUM SCIENTIAE MEDICAE

CULTORI INDISSOLUBILI

HOC OPUSCULUM

OBSTACULUM GRAVIDAE ADIUTUM

MONUMENTUM TANTI

ASHBY SMITH

JACOBO HOME, M. D.

MATERIAE MEDICAE IN ACADEMIA EDINENSI PROFESSORI,

VIRO

PROPTER ERUDITIONEM

MORUMQUE SUAVITATEM

ILLUSTRI,

HANC DISSERTATIONEM

SUMMA OBSERVANTIA

INSCRIBIT

AUCTOR.

LEPRA, nomen apud vetustissimorum populorum historias famosum, nobis ideam exhibet morbi sordidissimi cutem infestantis, sed parcentis vitae, ita ut eo affecti ob foeditatem potiùs quàm ob contagium ab hominum consortio segregati miserrimam agant vitam, et mortem expetant, tanquam malorum intolerandorum perfugium. Verùm si hanc ideam seposueris, quae ad omnia aequè Leprarum genera pertinet, nulla est apud auctores descriptio quae omnibus aequè speciebus competat et universas comprehendat; nominumque magna confusio effecit, ut nullus ferè sit ex omnibus quos descripsimus morbis cutaneis ad aliquam saevitiem atque pertinaciam evector, qui non Leprae nomine fuerit designatus.

LORRY, De Morbis Cutaneis.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

LEPRA.

PRAEFATIO.

CUTIS humanae singularis fabrica, munera compluria, quibus in vita animali fungi destinatur; causae demum irritationis quibus nunquam non patet, eam innumeris penè affectibus morboris obnoxiam praebent: nec facilè esset aliam morborum seligere seriem, plura, vel momentosiora, vel quaerentis medici considerationem tam aequo jure flagitantia, exhibentem.

Idcirco, etiam à vetustissimis temporibus, hanc Pathologiae disciplinam professorum scientiae nostrae attentionem contemplationemque sibi vindicâsse invenimus.—Neque

neglecta neque inculta est magno illo Medicinae Parente : atque per saecula post eum attraxit animadversionem, exercuit ingenium, etiam felicissimorum ex sequacibus ejus. Adhuc tamen hanc artis medendi partem minùs feliciter quam alias exploratam fuisse plerique fatentur ; atque illustrissimo nostrum viro temporum reservata erat gloria eandem laboribus suis elucidandi, monumentumque suae famae aere perennius simul excitandi.

Cutis morbi latissimè tam indole tam momento variant. Horum nonnulli, veluti eruptiones cum febre contagiosae, inter mala genus humanum vexantia, dirissima sunt ; dum alii, naturâ adeò leves sunt, ut aegrè in Nosologiis locum mereantur. Medium autem inter hos et varium admodùm genus, existit, quod vitae quidem durationem haud reddit brevior, neque functiones ejus multùm impedit, corporis tamen foeditate,* mentis in-

* "Εστὶ δὲ τὰ τοιαῦτα αἰσχος μᾶλλον ἢ νοσήματα. Hippoc. Περὶ παθῶν, Sect. v. 515.

quietudine quibus originem praebet, quàm optimo jure medici et diligentiam et miserationem sibi vindicat.

Inter hos ultimos cutis affectus, pertinaciâ suâ foeditateque insignis, longè eminet Lepra, hujusce nimirùm disceptationis nostrae materia.

HISTORICA.

Breves tantummodò sparsasque Leprae mentiones in Hippocratis scriptis reperimus, quàm verò inter morbos recenset vernaes,* exque *pituita* corporis redundante provenire reputat: † morborum atrâ bile ‡ orientium sequelam aliàs dixit, vesicamque urinae Leprà, § ut videtur interpreti, || laborare aliquando meminit.

* Aph. 20. Lib. III. 1248. Foës.

† Περι παθων, Loc. cit.

‡ Αἱ δὲ λέπραι καὶ οἱ λειχήνες ἐκ τῶν μελαγχολικῶν. Pro-
rhet. II. 114. ad finem.

§ Ἐν Λαρίσση Θεοφύλακτος παῖς ἐλέπραι τὴν κύστιν, καὶ διερε-
γλισχεον, κ. τ. λ. Epid. v. 1146.

|| Foësio.

Locum de Lepra ex Archigene conservavit Aetius, ubi squamosam morbi indolem piscinae cuti ille manifestè comparabat, notasque Lepram ab aliis cutis vitiis distinguentes indicabat. Memorabile tamen videtur quod idem, contra Actuarium et Paulum Aeginetam, formam macularum rotundam esse neget. “Differt verò,” inquit, “Lepra ab Impetigine Sylvestri, eo quod Impetigo orbiculatiùs semper proserpat, Lepra verò non ità, nec eodem modo.” *

De Lepra multa minutiora simul et accuratiora in libris Pauli et Actuarii tradita sunt. Paulus haud aliàs quam Hippocrates atrae bili originem tribuit, λειχῆνεςque, vel impetigines, à mixtione succorum à se invicem alienorum in corpore orientes, in Lepram degenerare affirmat.† Hisce autem verbis describit malum :—“Verum Lepra per profunda-

* Aetii Tetrab. iv. Serm. i. Cap. cxxxviii.

† Ubi serosi tenues et acres humores aliis crassis succis admixti sunt, λειχῆνες, id est Impetigines, generantur, quae brevi in Lepram et Scabiem transeunt.

tem corporum cutem depascitur orbiculatiore modo, unà cum hoc quòd squamas piscium squamis similes demittit.” * Mentionem simul iniecit de abnormi variéque figurata macularum formâ in morbo alio squamigero Psoriasi, hunc à Lepra probè discriminante.

Actuarius quoque unà cum indole squamosa, figuram quoque orbiculatam notavit: “ Αλλ’ ἡ μὲν λέπρα διὰ τῆ βαθῆς χωρεῖ, καὶ κυκλοτερη ἐξανθηματὰ ποιεῖ.” †

Scriptores verò Romani vetustiores sub Leprae nomine nullam accuratam morbi descriptionem reliquerunt; etiamsi apud unum, ‡ saeculi tamen inferioris, remedium in Lepram *specificum* ut vocant, traditum legimus. Celsus quidem plures ejus species sub Impetigine § Vitiligineque || dedisse videretur.

* De Re Medica, iv. 2. De Lepra, &c.

† De Method. Med. Lib. ii. Cap. xi. De reliq. extern. corp. affect.

‡ Marcellus, de Medicamentis, Cap. xix.

§ Ipsiusque (Celsi) Impetigo nihil aliud est quàm Lepra Graecorum. Vogel, Acad. Praelect. de cognoscend. et curand. praecip. corp. human. affect. p. 612.

|| De Medicina, cap. xxviii. 19.

Arabes postea sub Leprae nomine* Elephantiasin Graecorum perperam descripserunt: atque quoniam saecula inter barbara literae artesque asylum apud hunc populum quaerere coactae sunt, mirari non possumus si aliquam adhuc partem eorundem errorum tempus, et latissima illius gentis auctoritas, victoriarum scilicet militarium comes, consecraverit. Hinc à literis Europae redivivis penè ad hoc temporis, scriptores de re medica hos diversissimos vixque non contrarios morbos miscuere. Rem ita se habere, nec non notiones de ea perplexas olim existentes evincere, satis erit consulere celeberrimorum nosologorum libros.

DEFINITIONES.

Lepra à Linnaeo his verbis definitur:—
“ Pustulae, eschara sicca, colorata, cum no-

* Quem Elephantiasin Graeci vocant, affectum hunc Arabes Lepram nominant. Lorry, De Morbis Cutaneis, p. 363.

dis immersis mobilibus indolentibus, fuscis, rhagadibusque.” * Hanc illustrissimi Naturae historici descriptionem ad morbum squamosum nihil pertinere manifestum est. Priore quidem parte comprehenditur Impetigo quam nostrates “RUNNING TETTER” nuncupant, posteriore autem Elephantiasis Tuberculosa, seu Lepra Arabum.

Sauvagesius quoque generi Leprae, Elephantiasis transtulit signa:—“Lepra Graecorum cognoscitur ex duris furfuraceisque tuberculis, verrucosis, seu verrucas crassas referentibus, subrubentibus, sine dolore faciem, manus totum quandoque corpus afficientibus quae sensu carent; viciniâ tamen pruriginosâ. Saepe cutis vicina est suboedematosa, sensû ferè destituta; tibiae phlegmasiâ tumidae.” † Addit porrò; “Hic morbus apud nostrates vix unquam videtur, nisi aegri ex Hispania, ex Oriente, aut ex America huc accesserint.”

* Gen. Morb. Cl. xi. Ord. iv. Gen. 262.—Amoenit. Academ. Vol. vi. p. 479.

† Nosol. Meth. Cl. x. Ord. v. Gen. 27. Edit. Amst. 1763.

Sagar sub titulo Leprae plura comprehendit et diversa morborum genera. Ità enim Lepram Graecorum definit :—“ Tubercula furfuracea, verrucosa, crassa, rubra, insensibilia, seu sensu carentia, faciem, manus, &c. occupantia, constituunt hanc speciem.” *

Plenck, cujus ordinatio morborum cutis summâ laude est digna, inter Elephantiasin tamen Lepramque Graecorum discrimen idoneum interponere parùm valuit. Leprae enim synonyma *Tuberculosam* adjecit, atque sic descripsit :—“ Format tubercula verrucosa, crassa, rubra et insensilia, quae faciem, manus et corpus occupant.” †

Signa jam data Elephantiasis sunt, morbi nimirùm insanabilis, qui hodie *endemicus* frequenter saevit per plurima Maris Mediterranei ad orientem littora, per regiones quasdam Hispaniae Lusitaniaeque, necnon in Insula Madeira : ad quem tamen nisi nomine malè permutato, ne quidquam pertinet Lepra.

Culleni clarissimi definitio Leprae hisce

* Syst. Morb. Symptom. Cl. III. Ord. v. Gen. xxx. Sp. I.

† Doctr. de Morbis Cutaneis, Cl. VI. Art. Lepra, p. 74.

gravioribus vitiis utique libera est ; verum non est omninò accurata, nec satis distincta :—“ Cutis escharis albis, furfuraceis, rimosis, aspera, aliquandò subtùs humida, pruriginosa.” *

Cum Lepra Psoriasin atque Impetiginem unà includere videtur Vogel, cujus definitio haec est :—“ Pertinacissima scabies, totius corporis vel partis, sicca, dura, aspera, serpentibus pustulis furfuracea.” †

Doctissimus Alibert, cujus in morbis cutis investigandis labores notissimi sunt, Lepram Europâ penè incognitam esse confirmat ; ‡ nihilominùs sub ordine numerosissimo suo *Dartres* eam pro genere uno descripsisse videtur. Verba sunt ;—“ Elle forme sur la peau des plaques circulaires ou arrondies, dont les bords sont plus rudes et plus élevés que le milieu. La Dartre Furfuracée arrondie se manifeste de préférence aux bras, aux jambes,

* Synops. Nosol. Meth. Cl. III. Ord. III. Gen. LXXXIV.

† Definit. Gen. Morb. Cl. VIII. Gen. CCCXX.

‡ Maladies de la Peau, Avant-propos, p. viii.

particulièrement au voisinage des articulations du coude et du genou.” *

Definitioni clarissimi Willani nulli ex his erroribus objici possunt, atque cùm succincta sit, simulque perspicua, accuratissimisque primorum scriptorum historiis consona, nihil est cur eam usurpare haereremus. “Lepra,” inquit, “is characterized by scaly patches of different sizes, but having always nearly a circular form.” † Addi forsitan potuit *non contagiosam*, quamquam saepe *haereditariam* esse.

MORBI SIGNA.

Leprae in Britannia nostra tres observatae sunt species, quibus Doct. Willanus quem sequi destinavi haecce dedit nomina, nimirum, Lepram Vulgarem, Lepram Alphoidem, Lepram Nigricantem.

I. LEPROA VULGARIS.—Haec quae species est frequentissima, primùm se ostendit exiguis,

* Tom. I. p. 202.

† On Cutaneous Diseases, p. 112.

distinctis, rubidis, cutis eminentiis, in quarum superficiem, squamae albae, pulverulentae citò generantur. Maculae se paulatim dilatate adeo pergunt ut intra paucos dies margo aspera, elevata percipi potest, dum spatiolum eâdem circumscriptum, complanatum quasi videtur, atque lineae cuticulae propriae non ampliùs videntur.

Ab initio usque figura mali erumpentis ovalis vel circularis notabilis est, et morbum per totum suum progressum denotare perseverat, quantacunque sit magnitudo ad quam maculae attingant ultimam. Willanus * circellos istos ampliando progredi donec coronae argenteae discum impleant, auctor est, ut etiam Cl. Willisius :† Vogelio‡ quidem a nummulo minutissimo argenteo, ad manûs usque amplitudinem excrescere dicuntur ; atque Doctor Falconer§ adhuc latiore iis dilata-

* On Cutaneous Diseases, loc. cit.

† De Medicam. Operat. Sect. III. cap. vii. p. 289.

‡ Acad. Praelect. de cognoscend. et curand. praecip. corp. human. affect. p. 611-612.

§ Mem. Lond. Med. Soc. Vol. III. p. 368.

tionem attribuit. Plerisque tamen exemplis eam non exsuperant amplitudinem quam Willanus Willisiusque dixerunt, etiamsi ipse subinde multò ampliores viderim; quin unico singulari exemplo, ubi omne morbi signum clarissimè, manifestissimè notabatur, una macula, seu plaga potiùs, cujus ambitus prope-modùm pectus contegere visa est, haud equidem minor quam est vertex pilei hodierni et mediocris amplitudinis.

Eruptio non cohibetur certae cuiquam corporis sedi; sed indifferenter truncum, membra, capillos infestat; in his quidem haud rarò a margine capillorum proserpit ad tempora, frontemque. Facies, pedesque soli immunes restare videntur. Squamarum haud mediocris vis accumulari solet super plagas; quae facilè corpore resolvuntur, sive stragulorum, sive linteorum mutandorum frictione, si quidem haud sine violentia quadam separatae fuerint, ichor, seu cruenti aliquid subsequi solet, crustaeque citò repullulant.

Pruritus frequens est nec tamen assiduum mali signum: siquando occurrat, multùm ab

aëris variationibus aggravatur, praesertim à coelo post siccum humido.

In exemplis gravioribus ungues* manuum fiunt crassiores, striatae, induratae, decolores. Aliquando licet rariùs articulorum minorum amplificationem in digitis notavi, necnon articuli pollicis, ossisque metacarpi ei respondentis.

Quando eruptio numerosa est, cutis rigiditas liberam membrorum exercitationem impedire solet, sed valetudo generalis hâc saltem regione, parùm afficitur, etiamsi affectus cutis per longam annorum seriem perstiterit. Peregrinis autem auctoribus universi corporis affectio multò gravior esse dicitur: itaque Vogel scripsit; “ Neque verò vitium in extrema superficie tantum subsistit: sed et alia symptomata inde producuntur, velut artuum

* Hippocrates, De usu Humor, Sec. VIII. haec verba habet, “ Ὁξος—ἐκ τῆς αἰσ ἀλῆς καὶ πρὸς ἄλλα, δὲ ὅσα λειχῆσιν, λέπρῃσιν, ἀλφοῖσι παχυνθὲν ἐν ἡλίῳ θερμῷ. ΜΑΛΙΣΤΑ ΔΕ ὈΝΥΞΙ ΛΕΠΡΟΪΣΙ.

Actius quoque capitulum operis unguium Leprâ vel Psoriasi affectarum curationi dedicavit.

Tetrab. IV. Serm. II. cap. 79.

rigores, alvus nunc adstricta, nunc laxa ; dolores capitis, vigiliae, sitis, ancyloblepharon, pectoris oppressio, raucitas, auditus difficilis, dolores ventris, febricula, visus hebes, tactus imminutus, cum odore admodum tetro atque nauseoso. Quidam paulatim contabescunt.”*

Clarissimi Lorry verba eodem ferè tendunt : “ In toto morbo, longissimo quidem, vix variationem aliquam accipiunt phaenomena, ita ut per longam annorum seriem in eodem statu remaneant, donec multiplicatâ materiâ obstruantur glandulae lymphaticae, cachecticique tandem atque hydropici moriantur, aut tabe pulmonali absumantur aegrotantes.” †

II. LEPRA ALPHOIDES.—Haec lenior morbi forma ea esse videtur quam Hippocrates *ἀλφος* denominat, quamque Celsus dedit veluti speciem Vitiliginis :—“ *Αλφος* vocatur ubi color albus est, ferè subasper et non conti-

* Loc. Cit. p. 612.

† De Morbis Cutaneis, p. 367.

nuus, ut quaedam quasi guttae dispersae esse videantur.” *

Designatur verò maculis squamosis erumpentibus, quibus color est albidus, centrum depressum, margo elevata, rubidula. Minores istae sunt quam quae Leporam Vulgarem comitantur, utpote quarum amplitudo variet a nummulo olim exiguo Britannico denario argenteo,† ad alium adhuc exiguum sed amplio-rem, semisolidum‡ dictum. Macularum forma ferè orbiculata est; ad cubitum verò, ob plures simul confluentes, figura deformis potiùs gignitur quae totam occupat cutem articuli. In plurimis, morbus extremis omninò membris cohibetur, in uno tamen alteròve exemplo, ad medium usque corpus proserpere vidi. Pueri, feminae delicatiores, viri quoque vitâ sedentariâ utentes huic morbo ferè obnoxiores sunt, quem in utroque sexu motus sanguinis languidior, animus mobilis, inaequabilis, concoctio imperfecta comitari solent. Si quidem morbus diu perseverave-

* De Medicina, Lib. v. xxviii. 19.

† Silver-penny.

‡ Sixpence.

rit, tandemque remediis idoneis submotus fuerit, iterùm recurrere pronus est admodùm, vere praesertim per plures annos forma levior.

III. LEPRO NIGRICANS.—Rarior haec morbi forma, auctore Cl. Willano, quod ad figuram, magnitudinem, et situm macularum, Leporam Vulgarem quàm proximè refert. Discrimen praecipuum videtur in colore, qui lividus est atriorque. Celsus hisce verbis inter *Αλφος* et *Μελας* distinguit: “*Μελας* colore ab hoc differt quia niger est, et umbrae similis, caetera eadem sunt.”*

Vogelius† eandem speciem indicare videtur, in ea quam pessimam Leprae vocat formam, in qua crustae colore nigricante sunt.

Willanus‡ homines quorum vitae genus fatigationi nimiae, frigori cum humore obnoxium est, quique victû simul tenui parcoque uti coguntur, praecipuè ab hoc malo peti scripsit.

* Capite supra citato.

† Loc. cit.

‡ On Cutaneous Diseases, p. 132.

In universum, haec Leprae forma fortasse nihil aliud est nisi prima morbi species dicta, cum aspectu per corporis depravatum habitum, immutato.

CAUSAE.

Difficile est causas, quae corpus ad Leporam primùm reddunt proclive, indicare. Quod in plurimis haereditaria quaedam existat proclivitas, jam dicta est; atque Doct. Willan memoriae tradidit hanc saepe cum motu sanguinis languidiore, atque durâ quâdam vixque penetrabili cutis conditione esse conjunctam. Adjiciatur quod Lepra rarò existat nisi conjuncta paucioribus pluribúsve Dyspepsiae signis.

Causae *Occasionales* vix minus obscurae in Lepra sunt quam *Praedisponentes*, variéque dictae sunt variis auctoribus. Willisius* piscini victûs usui liberaliori ac constantiori exortum morbi attribuit. Falconer,† nunquam

* De Medicam. Operat. Sect. III. Cap. vii. p. 291.

† Mem. Med. Soc. Lond. p. 372.

non ex frigore subito originem trahere credit, praesertim ex potu liquorum gelidorum dum corpus caleret.

Munditia, cultusque corporis neglectus, pro causa morbi communi excitante a Lorræo* habetur: atque Willanust† quoque opinatus est Lepram saepe tribuendam esse irritationi ex ista origine provenienti; additque se saepe in artificibus observasse, quorum opificium aëri, pulvere pulverulentisque onusto, ipsos objiceret. In aliis autem exemplis efficaciae frigoris humorisque conjunctae ascripsit.

Willisii quidem sententia omninò conjecturalis, nec ullis experimentis innixa videtur; aliae tamen causae suprà datae, ni fallor, ea est corporum diversitas, omnes ad morbum gignendum facere possunt.

Gravissimum, quod ipse vidi unquam Leprae exemplum ab aegro ipso, viro genere illustri, originem habere credebatur ex assiduus algoribus madoribusque, quibus corpus,

* De Morbis Cutaneis, p. 366.

† On Cutaneous Diseases, p. 127.

dum Scotiae iter conficeret, exponebatur; quin hâc ipsâ hyeme sub amico nostro clarissimo Doctore Home, (cui propter benignitatem erga me, maximas gratias habeo) manifestissimum exemplum vidi in Valetudinario Regio Edinensi. Puellae erat delicatioris, quae postquam in mare lavatum descendisset, per aliquot horas, nec stolâ quâ lavasset mutatâ, humi imprudens dormiverat. Statim secuta est febris satis vehemens, cui copiosa Leprae Vulgaris eruptio extemplò supervenit.

DIAGNOSIS.

Penè supervacuum nonnullis videatur discrimina proferre morbi de quo Willanus proposuit, “ *of all cutaneous affections whatsoever, it constantly retains the most distinct form and character.*” Quum tamen non abest suspicio, Leporam aliis saltem *squamosis* cutis foeditatibus saepè confundi, haud inutile forsitan erit quibus in rebus differat, breviter notâsse.

Psoriasis Leporam haud mediocriter simu-

lat ; sed distinguitur figurâ macularum suarum abnormi, nullâque margine earundem elevatâ ; nec minùs rhagadibus qui adsunt, corporisque universâ perturbatione ipsam comitari solitâ.

Ab Ichthyosi Lepra eò discrepat, quòd squamae illius continuae sint, tota ferè membra haud rarò incrustantes ; nec minus aspera, penéque corneâ tegumentorum fabricâ, difficilique squamarum separatione.

Cum Pityriasi vix credibile est Lepram confundi posse, maculis nulla forma regulari existentibus, nec inflammatione, vel crustarum formatione, comitatis.

Fortassè haud absurdum erit, hîc pauca de Elephantiasi submittere, de quo quidem morbo jam per saecula compluria medici mirè hallucinati sunt. De hac tamen re propriae observationi minus debeo, quam amico meo Doctori Jacobo Shuter, medicinam nuper in Insula Madeira cum summa laude facienti.

Hic morbus haereditarius est, omnes indifferenter hominum conditiones, opulentam tamen minùs saeviter quam plebeiam, afficiens. In sanguineis, denotatur tuberculis papillae similibus, per varias corporis partes, quae tardè omnino et imperfectè ad suppurationem procedunt. Quum autem temperamento fuscior praeditos adoritur, cutis fit lacera, crassa, atque indurata, profundis fissuris intersecta, quae lineas cuticulares persequuntur. Saepè morbo progrediente nasus exeditur, digiti tam manuum quam pedum exulcerantur, tandemque decidunt; membra inferiora haud mediocriter tumescunt.

Elephantiasis, ut diximus, haereditarius est, sed non contagiosus morbus: salacitasque laborantibus adscripta, omninò inepta; quin etiam si pueros impuberes fortè corripuerit, genitalia rarissimè talibus penitùs evolvuntur.

Occasio quoque haud unica fuit eidem Doctori Shuter observandi morbum in Lusitania atque Hispania, perinde ac in Madeira, quibus tamen morbi indicia minùs manifesta quam in Madeira reperit.

Quum verò stirpe ferè Lusitanicâ, Madei-
renses orti sint, saepèque ad patriam regio-
nem remigrentur, huic commeatui praesertim
Elephantiasis earum regionum tribuenda est.
Hoc proposito, nonne operae pretium esset
quaerere, quantum et quousque coeli mutati
efficacia valuerit in lineamentis morbi in con-
tinentem translati emolliendis ac temperan-
dis?

Notabile est, Celsi, auctoris scilicet qui
morbum fortasse nunquam viderat, quoniam
scripsit, “ignotus penè in Italia est morbus,”
descriptionem ad phaenomena quae hodie
morbum denotant propiùs accedere quam
cujuslibet antiqui auctoris. *

DE MEDENDI RATIONE.

Ad hunc morbum sanandum vix necessari-
um erit ad praescripta veterum operosa re-
currere; ista quidem ex opinione morbi
nunc humore quodam corporis redundante,
nunc alio quodam alieno admixto originem

* De Medicina, Lib. III. Cap. xxv. De Elephantia.

trahentis composita erant, atque hisce humoribus expellendis vel corrigendis, tota eorum medicina impendebatur. Veteribus nihilominus medicis unum remedium utilissimum simul atque potentissimum non tantum in hoc morbo, sed in omnibus aliis ferè morbis cutis longioribus sanandis, debemus. Vix necesse est addere, Balneum cum variis suis formis hîc intelligi: cui quidem medicamentorum administratio sive externa, sive interna, maximâ ex parte subsidiaria habenda est.

Hippocrates praeclarum narravit exemplum utilitatis balnei in cutis affectu pertinace, Leprae simillimo: “Athenis quidam,” ait, “pruritû totius corporis, praecipuè tamen testium et frontis detinebatur, ac vehementer admodum vexabatur. Cutis toto corpore crassa erat, ac qualis in Lepra videri assolet, neque ulla ex parte prae crassitudine apprehendi poterat. Hic nullis remediis juvari potuit. In Melum autem ad balneas calidas profectus, prurigine et cutis crassitudine liberatus est.” *

* Lib. v. Epid. B. 1144.

Paulus Aegineta post varia commoda ex balneo calido derivanda adjecit ; “ Est autem et aptissimum ad usum et viro et feminae, et puero et seni, et magistratum gerenti et privato.” *

Oribasius † laudes huic medicinae haud minùs liberaliter profundit. Indicat etiam varios morbos quibus balneae naturales accommodantur, atque praecepta tradit ‡ ex quibus balneae artificiosae parentur.

Archigenes § balneis sulphureis naturalibus vim corporis cutis emundandi purgandique attribuit, easdemque in Lepra aliisque cutis affectibus utiles esse affirmat. Consona de balneo testimonia de Galeni, Aetii, Actuarii-que scriptis afferri possint.

Aquae Bathonienses, intrinsecùs et extrinsecùs adhibitae, à Falconer impensè laudantur pro efficacia sua in hoc morbo eradicando, ita ut ex 83 Leprâ laborantibus in Valetudi-

* De Re Med. Lib. 1. Cap. 51.

† Synops. Lib. 1. de Lotionibus cap. xxvii.

‡ Lib. cit. cap. xxviii, et xxix.

§ Aetii Tetrab. 1. Serm. III. cap. clxvii.

narium Bathoniense ejus rei causâ intra quadriennium admissis, non minùs quam 52 emundati sunt, atque 24 multùm sublevati sunt his aquis utendis.*

Cl. Lorry, qui curationi per exinanitionem quam veteres laudant, semperque praemiserunt, faventior est, inquit; "Secundum locum sibi vindicant balnea tepida, quae cutem laxando humectant, vasaque meabilia reddunt et humores mobiles."†

De balneis tamen sulphure imbutis adhuc magnificentius sentire videtur; "Iis verò si virtus attenuans et mucum solvens addatur, qualis in sulphureo-salinis Thermis reperitur, tunc balnea omne punctum tulerint et universam effecerint medicationem."

Nostrorum etiam balneorum sulphureorum qualia apud Harrogate aliaque loca videntur fama quam hunc similesque cutis longiores morbos sanando adepta sunt, notissima est.

* Libr. citat. p. 382. Doctor Falconer vocabulo purgato (cleansed) utitur, ne sanatos leprosos dicere videretur: saepè enim cum omnia ejus vestigia eradicata fuissent, quantum videri potuit, iterum regreditur.

† De Morb. Cutan. p. 369.

Doct. Willis * strenuè balnea in Lepram laudat, quibus picis liquidæ aliquantulum fuerit adjectum, praeceptaque ex quibus praeparentur, tradidit.

Decedente morbo, irritationeque subindè comite, levatâ, lavatio in mare utilissima est, valetudinemque interim generalem promovet: nec alia est commodior cautela ne morbus semel amotus recurrat iterum, quàm balneum marinum per hebdomadas quotannis paucas sive aestivas sive autumnales.

In Lepra curanda, nullum tam efficax inveni remedium ac solutionem Oxymuriatis Hydrargyri spirituosam, ad sensum partium affectarum temperatam. Ex grano dimidio hujus salis in semuncia spiritûs vini rectificati, cui tantundem aquae rosarum vel destillatae adjectum fuit, incipio; et hanc lotionem noctu manéque in maculas lenitèr de linteo exprimi jubeo. Aquae copia imminui, Hydrargyri augeri sensim potest, prout cutis stimulo assuescat, donec scrupulus, grana viginti quatuor vel semidrachma in unciis sex-

* Loc. citat. p. 294.

decim spiritûs fortioris solvantur. Tam vehemens medicamentum magnae cutis portioni haud sine periculo absorptionis adhibitum esse aliquis crederet : nunquam ipse in experientia propria quid mali aut incommodi conspiciatus sum, nisi fortè asperitatem quandam vicinae cuticulae quae fomentis ex aqua calida facillimè cedit. Effectus quidem hujus lotionis eruptioni adhibitae refrigerans est, blandus, aegri ipsius sensui gratissimus ; si qua verò acrimonia irritatiôve inducatur indicio est, liquorem dilui debere.—Ad continuam ferè squamosam crustam quae capillorum cutem saepè investit, refigendam, Unguentum Picis insigni commodo inveni. Fabricam ejus mollefacit, simulque pruritum compescit, qui in hac sede molestissimus est.

Ad Leporam Alphoidem, lotiones adhiberi possunt ex alcohole, primò diluto, cum vel sine Oxymuriate Hydrargyri, ut suprà ; vel vice hydrargyri, Liquoris Potassae scrupulus ad drachmam dimidiam cum alcoholis unciâ, diluti vel non diluti misceatur : sed in hac morbi forma, tales liquores minùs valere ap-

parent quàm Unguentum Hydrargyri Nitratiss, quod variis rationibus ex unguento Cetaei diluatur; vel Unguento Picis adjici potest.

Medicamenta intùs danda pro irritatione quae morbum comitetur manifestò seligi debent. Dum plaga adhuc tenera est, inflammata, dolens, Sulphuris doses mediocres, cum salibus mediis refrigerantibus; vel Liquoris Potassae viginti quinque vel triginta guttae bis quotidie exhiberi possunt. Interea loci praeter balneum calidum vel tepidum, nihil est quod extrinsecùs utiliter adhibeat medicus.

Doctissimo Crichton, unum ex utilissimis ad hunc morbum remediis, Solanum nimirum Dulcamaram debemus. Ex viginti et octo Leprâ haud dubiè aegrotantium, duos tantum insanatos mansisse hic narrat;* reliquis omnibus persanatis. Dulcamara optimè propinatur ex aquâ decocta,† ad uncias duas, bis

* Vide commentarium ejus ad Willanum in libro "On Cutaneous Diseases," p. 146, 147.

† Formula hujusce Decocti parandi quam dedit Crichton, postea in Pharmacopeiâ Londinensi locum invenit: hujusmodi est.

R $\&$ Stipitum Dulcamarae ʒi

Aquae Purae lbiss

Decoque ad libram unam, et liquorem frigefactum cola.

in die ; dosis tamen augenda est, donec libra quotidie consumetur. Decocto ejusdem fortiore cutem simul lavari Crichton suadet. Hoc quidem usui esse vidi ; minùs tamen quàm lotionem ex hydrargyro supradictam.

Ubi nulla corporis proprietas existit, qualis Arsenici usum prohiberet, ea hujus solutio, quam usui commendavit Dr Fowler * efficacissima invenietur. Quinque ad octo guttas, bis dentur in die ; quae ventriculum vix perturbabunt si brevi ante vel post cibum devorentur.

In Lepra curanda, Liquorem Arsenicalem et decoctum Solani Dulcamarae conjunctim sumpta plus valere, inveni, et effectus ita magis salubres edere, quam si alterutrum horum medicaminum per se fuisset exhibitum. Dum tamen acerrimum illud metallum praescribitur, ut effectibus ejus diligentissimè invigilet medicus necesse est ; quoniam ea est ejus acrimonia, ut ne etiam minutissima ejus copia à nonnullis sine maxima corporis perturbatione, assumi potest. Vertiginem subinde, ca-

* Vide Reports on Arsenic, Sect. vi. p. 79.

pitis dolorem, ardoris pungentis, aculeati, in palpebris sensum, scintillas ob oculos, saporem oris metallicum, alvi ventriculique conturbationes generare solet. Fuit unus qui similes ejus affectus atque spirituum nec probae indolis destillatorum esse affirmaret. Non melius hoc loco lectorem monere possim de Arsenico, quàm verbis amici spectatissimi Doctoris Georgii Kellie, quae ideò mutatus sum:—"From all I have observed, I have little apprehension of risk in a guarded and judicious use of the arsenical solution. It will always be proper to begin with the smallest doses, in order to ascertain how far it agrees with the stomach. Having suited the dose to this, the feeling of swelling and stiffness of the palpebrae and face, heat, soreness, and itching of the tarsi, or tenderness of the mouth, are proofs that the medicine is exerting its specific effects on the constitution; that the dose has been carried to a sufficient length; and that it is time to decrease the dose, and attentively to watch its future effects. On the appearance of erythema, or salivation, it is time to interrupt

altogether, for a while, the exhibition of arsenic ; if necessary, it may be resumed when these symptoms have vanished. If pain of the stomach, nausea, or vomiting supervene ; if the head be affected with pain or vertigo ; or should a cough, with any signs of irritation of the pulmonary organs, be observed, the use of arsenic should be totally and for ever abandoned." *

Leprae impetus leviores sine ulla difficultate balneo calido continuato, cum frictione leni ad squamas resolvendas conjuncto, cedent, atque in gravioribus morbi formis quaecunque alia remedia adhibeantur, balneum nunquam negligi debet.

In Lepra primum decedentis morbi indicium, manifestatio est cutis emundatae ad medium plagarum ; et haec area expurgata paulatim augescit inter morbi decrementum, donec margo eminentior squamosa sola restet, et haec denique removetur.

* Edinburgh Medical and Surgical Journal, Vol. IV. p. 187.

Willanus notavit omnes partes affectas eodem ferè tempore saniores habitum assumere; maculas tamen membrum sitas ultimò evanescere.

Per spatium aliquod post morbum sublatum remediis externis praesertim frictionibus subindè uti necessarium erit, ne morbus scilicet iterum recurrat. Valetudo generalis curanda erit, atque hoc optimè fit exercitatione quotidiana, praesertim aequitatione, balneo, victû tenui, sed nutritio, alvo facili; ne subitis algoribus corpus calescens patefiat, assiduè cavendum est.

Leprae Nigricantis curatio ex necesse diversissima ab alterutra prius dicta specie morbi erit. In ea ad corporis universi robur redintegrandum medicinam omnem nostram dirigi oportebit; ad quem finem, victus liberalior, gestatio, exercitatio sub divo modica, balneum marinum, roborantium usus, impetranda.

FINIS.

